

,, fatione & sycophantia, adorti sunt ipsum deponere
 ,, & exterminare, instantes ab eo factam illam impro-
 ,, bam oneris impositionem. Patriarcha, audita tam-
 ,, atroci calumnia, se scilicet Pefcesium dedisse in Por-
 ,, tam Sultani mille (6) Aureos, & hoc modo Patriar-
 ,, cham factum fuisse; mortem sibi potioem esse dixit,
 ,, juravitque jusjurandum sanctissimum, per divinum sa-
 ,, crumque Evangelii Librum, perque Stolum & Omopho-
 ,, rium protestatus est, se hujus rei nullo modo conscium
 ,, esse, nec demonstratum iri unquam, a se Pefcesium
 ,, datum. verum inimicis ejus calumniatoribus illis, &
 ,, factioni eorum, res non persuasa; sed pervicaciter af-
 ,, firmabant, ab eo malum initium (1) in Ecclesiam in-
 ,, troducendum esse: ideo, educamus [inquit] eum de
 ,, Patriarchico throno, quia depositione & exilio dignus
 ,, est. Ita conveniunt Trapezuntini proceres, & non-
 ,, nulli alii civitatis magnates: Aureosque mille corro-
 ,, gatos, Sultano miserunt, dicentes: Quia Patriarcha
 ,, Regiæ majestati tuæ mille Aureos promisit, ecce da-
 ,, mus id & nos, ut Patriarcham faciamus nostrum Mo-
 ,, nachum, quia cunctus populus, & Clerici nolunt Pa-
 ,, triarcham dominum Marcum. Sultanus ut ea verba
 ,, audivit, risit equidem, & diu hæsit cogitabundus,
 ,, reputans secum invidiam & stultitiam Romanorum, &
 ,, quod in via Dei non ambularent. Tum respondens di-
 ,, xit: ita certe est: pollicitus fuit hos mille aureos Pa-
 ,, triarcha. Hoc autem eo consilio dixit Sultanus, ut
 ,, Legem novam induceret, ut quicumque fieri vellet
 ,, Patriarcha, Pefcesium Regiæ ejus majestati tribueret.
 ,, At miserandus Patriarcha dominus Marcus tale nihil
 ,, dixerat, aut promiserat. Tantummodo id excogita-
 ,, runt calumniatores, ut illum e folio deturbarent.
 ,, Tunc Sultanus, ubi mille aureos accepit, dixit: Quo-
 ,, niam ite cuncto populo invisus est, dejicite illum,
 ,, & create quem vultis. Confestim itaque dominum Mar-
 ,, cum Patriarcham abrogarunt, eumque inde expule-
 ,, runt.

(6) Græc. φλόρια χίλια, Florenos mille. Ducatos vertit Crusius.

(1) Ita Latine reddimus, Græco textui pressus inhaerentes.